

non contenta, sed continens. At vero in præsentia substantia panis non se habet tamquam vas continens, sed tantum sumitur absolute pro eo quod offertur ad manducandum, et solum demonstratur per accidentia propria ipsius panis, et quantum est de se, inhærentia illi: unde cum Christus Dominus per pronomen hoc designavit quid esset vere et substantialiter illud quod sub talibus accidentibus continetur, non potuit relinquere ibi substantiam panis, ut dictum est; tum, quia accidentia designarent substantiam panis, et non corporis Christi, cum essent propria panis, et inhærentia illi; tum, quia non referuntur ad aliquid contentum in pane tamquam in vase, sed ad demonstrandum quid sit absolute et substantialiter contentum sub illis speciebus; unde non potest ly hoc verificari pro toto contento solum morali modo, seu physice et entitative, quia demonstrat quid sit illa substantia absolute; et sic non relinquit locum alteri substantiæ.

ARTICULUS II.

Quænam sit ista actio conversiva, et quem terminum formalem habeat?

I. De actione et termino hujus conversionis simul inquirimus, quia terminus et actio recipiuntur inter se, cum actio specificetur a termino, unde unum sine altero perfecte tractari non potest. Supposita ergo doctrina fidei præcedenti articulo tradita, quod in hoc sacramento datur conversio totius substantiæ in corpus Christi, et quæ recte transsubstantiatio appellatur, et sic appellandam esse decernit Ecclesia, non solum in Concilio Tridentino sess. XIII, cap. IV, et canone

IV, sed etiam in Lateranensi sub Innocentio III, capite primo, atque adeo non sufficit ad fidem confiteri in hoc sacramento esse præsentialiter et realiter corpus Christi, et non esse substantiam panis, sed etiam fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi; hac, inquam, fide supposita, inquirimus de ista conversione quid sit, in qua actione consistat, quis sit formalis terminus ejus? Articulo autem sequenti dicemus de termino desinente et corrupto, scilicet, an substantia panis annihilatur.

II. Est autem supponenda definitio conversionis generice sumptæ: deinde divisio ejus in suas species: et tertio conditiones ad illam requisitæ. Definitio conversionis in genere est: Transitus unius rei in aliam. Ly transitus non est solum ordo, seu habitudo inter duas res (ut aliqui putarunt) sed est vera et realis mutatio cum illa habitudine, et ordine inter extremum desinens, et extremum succedens. Ly unius rei in aliam, designat extrema positiva, inter quæ versatur conversio, non subjectum in quo versatur, non terminum a quo formalem, qui est privatio in generatione; sed extremum illud positivum de quo sit transitus in aliud; et est terminus a quo materialis respectu actionis ut generativæ; per se autem et formaliter ad actionem ut conversivam. Unde in mutationibus, in quibus est transitus de uno ad aliud, considerandum est, quod aliud est subjectum, quod mutatur de uno ad aliud; aliud est extremum quod mutatur, et transit de uno ad aliud: subjectum potest quidem dici, quod mutatur, sed non quod convertitur. Dicitur vero converti ipsum extremum, quod transit in aliud, verbi gratia, in generatione ignis, materia aquæ seu ligni transit, et mutatur in formam ignis; non tamen

dicitur materiam converti in formam ignis, quia materia manet; id autem quod convertitur in aliud, non manet, sed desinit esse; et sic aqua, vel lignum, quod desinit esse, est illud quod convertitur in ignem. Et quando homo albus fit niger, non dicitur homo converti in nigredinem, vel in nigrum, sed mutari de albo in nigrum; dicitur vero album converti in nigrum, quia conversio significat mutationem, prout inter ipsa extrema exercetur, et secundum habitudinem termini desinentis in terminum incipientem. Mutatio vero prout consideratur inter subjectum et formam dici potest mutatio, sed non conversio; et ideo in definitione conversionis cum dicitur transitus unius rei in aliam, ly unius rei intelligitur pro extremo, non pro subjecto.

III. Secundo, notanda est divisio in conversionem totalem, et formalem; in conversionem substantialem, et accidentalem. Prima divisio explicatur sic, quod conversio totalis est, quando unum extremum ita transit in aliud, quod nihil de illo remanet commune utrique extremo; sed totum quod est in uno transit in aliud, tam ex parte formæ, quam materiæ. Conversio autem formalis fit e contra, quando unum extremum ita transit in aliud, quod remanet idem subjectum commune utrique extremo, et solum fit successio, et transitus in formis; ideoque vocatur formalis. Et primo modo invenitur conversio solum in eucharistia, in qua tota substantia panis transit in corpus Christi; secundo modo invenitur etiam in mutationibus naturalibus, ut cum ex aqua fit ignis, ex albo nigrum, etc. Secunda autem divisio notissima est; dicitur enim conversio substantialis, quando fit transitus in aliquod extremum substantiale, ut

cum ex aqua fit ignis, vel e contra. Accidentaliter vero dicitur, quando fit transitus in extremum accidentale, ut cum ex albo fit nigrum, etc. an vero in omni mutatione naturali inveniatur conversio respondetur in omni mutatione inter terminos positivos, quatenus tales sunt, inveniri conversionem, non autem inter privatos, quia ex privatione ad formam datur simplex generatio, seu mutatio, quia privatio cum sit nihil, non convertitur in aliquid; si autem detur aliquid positivum quod desinit, et aliud positivum quod succedit, dicitur fieri conversio; non quod una forma transeat in aliam, sed quod illud constitutum (seu concretum ex forma et subjecto) dicitur converti in aliud ratione formarum; sicut in augmentatione aliquid ex parvo fit magnum, vel e contra; in generatione ex aqua fit ignis, in alteratione fit ex calido frigidum, vel ex minus calido magis calidum; et in motu locali ex distante fit propinquum, ex sedente stans, vel e contra.

IV. Tertio, notandæ sunt tres conditiones conversionis. Prima, quod sit inter terminos positivos; privatio enim, quæ nihil est, non convertitur in aliquid; et in hoc sensu verissimum est antiquorum philosophorum dictum, ex nihilo nihil fit, scilicet, per conversionem et mutationem. Unde generatio, prout fit ex privatione, non est formaliter conversio, licet sit mutatio; sed prout inter terminos positivos fit. Secunda conditio est, quod unum extremum, seu terminus desinat, et alter succedat, sive de novo incipiat entitative et in esse, sive solum in aliquo modo, vel dependentia terminandi, sufficit quod succedat alteri. Quod enim debeat unus terminus desinere, sive absolute et entitative, sive quoad modum patet, quia quod

convertitur, non manet invariatur et quietum, sed transit: ergo non permanet id quod erat, vel non sicut erat; et hoc est desinere. Quod vero debeat alter terminus succedere, et de novo produci, vel terminare illam mutationem patet, quia fit transitus in talem rem; ergo debet aliquid succedere alteri, et subrogari loco illius, et hoc realiter et vere, et non per solam extrinsecam denominationem, quia conversio realis mutatio et transitus est: et sic oportet, quod de novo aliquid realiter fiat, ut dicatur unum realiter succedere, et alterum realiter desinere.

V. Tertia conditio est, ut in conversione concurrat una actio, et duæ mutationes, debet dari actio, quia conversio est mutatio, et transitus activus. Si activus, hoc ipsum est actio; si passivus, ergo supponit actionem, quia omnis passio ex actione infertur. Et hoc ideo est, quia conversio non potest fieri per puram suspensionem influxus causæ efficientis, quia revera in conversione aliquid fit; influxus autem causæ efficientis est actio. Dari vero duas mutationes, seu quasi mutationes constat, quia unum extremum, quod transit et convertitur, non manet sicut ante: ergo mutatur; terminus autem in quem transit, de novo succedit illi; ergo aliquo modo incipit esse, et sic mutationem habet. Intercedit ergo hæc duplex mutatio ex parte termini desinentis, et ex parte termini incipientis, licet non semper sit mutatio physica in utroque extremo, sed sufficit quod in altero sit metaphysica. Dicitur mutatio physica, quæ fit in aliquo subjecto communi utrique extremo; et hæc solum invenitur in conversione formali. Dicitur vero metaphysica, quæ non requirit subjectum commune, in quo fiat ista mutatio, sed

sufficit nova dependentia, vel terminatio unius extremi ab aliqua actione, sine entitiva mutatione, sicut accidit in conversione totali in eucharistia.

EXPLICATUR FORMALIS TERMINUS HUIUS CONVERSIONIS.

VI. Difficile semper visum est formalem terminum hujus conversionis explicare, quia valde difficile intelligitur, quid de novo fiat per istam actionem, quod sit specificativum formale illius. Nam vel illud quod fit de novo est aliquid substantiale, vel accidentale. Non substantiale, quia tota substantia quæ hic ponitur de novo, est substantia corporis Christi; hæc autem nullo modo fit de novo, neque aliquid substantiale accipit, quod ante non haberet, si quidem conversio fit in corpus Christi præexistens; ergo supponitur tota ejus substantia, non vero fit de novo; sic enim substantialiter mutaretur in sacramento: si autem fit de novo aliquid accidentale tantum, ergo illa conversio non est substantialis, sed accidentalis; ergo non est transsubstantiatio. Quod si dicamus non dici transsubstantiationem, quia ipsa conversio substantialis sit, sed quia est successio duarum substantiarum sine hoc quod producat nova substantia, sed solum quod succedat una substantia loco alterius, restant duo valde difficilia. Primum est, quomodo res illa, seu substantia succedens terminet novam dependentiam et actionem sine aliquo novo producto (quomodo enim corpus jam existens novam actionem terminare potest, nullo sibi superaddito, neque substantiali, neque accidentali.) Quod si neque hoc, ut novam dependentiam aut termina-

tionem acquirat per istam actionem conversivam, non apparet quomodo corpus Christi sit de novo terminus actionis, et non sit de novo terminans et dependens ab illa. Neque etiam poterit reddi ratio, cur non possit creatura converti in Deum, si quidem ut sit terminus hujus conversionis, non requiritur aliqua dependentia, vel mutatio in ipso termino succedente; ergo poterit Deus esse terminus hujus conversionis. Secundum est, quomodo corpus Christi hic succedens, reddatur impossibile cum substantia panis hic desinente. Nam ex natura rei non est impossibile; posset enim manente substantia panis poni hic realiter corpus Christi, si Deus vellet: unde ergo, et ex quo principio habet illa substantia corporis Christi destruere et corrumpere substantiam panis, ex vi solius actionis ponentis corpus Christi sub istis speciebus?

VII. Propter hoc valde divisi sunt theologi in hac parte. Reducimus autem omnes opiniones in tres præcipuas classes. Prima est negantium terminum hujus conversionis formaliter esse aliquid de novo productum, vel physice impossibile cum substantia panis; sed terminum formalem esse corpus Christi, ut enuntiatum et verificatum per verba; et sic enim et non ex alia ratione est impossibile cum pane: in tantum autem aliquid est terminus formalis conversionis, in quantum est destructivum, et impossibile cum termino antecedente et desinente: ergo corpus Christi physice non est impossibile cum pane: ergo neque secundum aliquid physicum est terminus hujus conversionis; et tamen (ut dicit Concilium) datur hic conversio, quia verificantur verba formæ; ergo corpus Christi ut enuntiatum per ista verba, est terminus formalis. Ita

sentit Vazquez disput. CLXXXI, cap. XII, existimatque hoc fundari in verbis Concilii sessione XIII, cap. IV, ubi ex eo redditur causa hujus conversionis, quia Christus vere dixit illud esse corpus suum. Sufficit autem ad conversionem substantialem, quod ex vi unius substantiæ desinat alia, licet ista impossibilitas non sit ex natura rei, nec sit sola successio duarum substantiarum mere concomitanter se habens. Itaque apud istum auctorem præsentia corporis Christi ponitur hic per distinctam actionem ab ipsa conversione. Et hæc præsentia est mutatio aliqua in corpore Christi, qua recipit modum indivisibilem existendi in sacramento, non desinendo illam præsentiam, quia est in cælo. Sed tamen licet hæc præsentia Christi requiratur ad conversionem, non tamen in illa formaliter perficitur conversio, quia in vi illius non redditur substantia Christi impossibilis cum substantia panis; sed quando incipit enuntiari, quod hoc est corpus Christi (scilicet contentum sub his speciebus) tunc fit conversio, quia tunc incipit esse impossibile substantia corporis Christi cum pane, non absolute, sed prout sic enuntiata. Conversio autem tunc perficitur, quando aliquid se habet impossibiliter cum alio, et sic fit transitus ab uno in aliud: nihil ergo productum, neque actio producens requiritur ad istam conversionem, sed tantum illa quæ reddit corpus Christi impossibile pani; et hoc non est aliqua intrinseca et physica impossibilitas Christi cum pane, sed illa extrinseca enuntiatio.

VIII. In secunda classe alii auctores inceperunt agnoscere terminum hujus conversionis, ut physice impossibilem cum substantia panis, et tamquam terminum physicum et realem hujus conversionis;

non tamen ratione ipsius substantiæ, vel alicujus prædicati substantialis, quod mutetur vel de novo producat (substantia enim Christi non mutatur hic, neque producitur, sed supponitur existens) sed ratione alicujus accidentalis de novo producti; quod tamen substantiam istam reddit impossibilem cum substantia panis sub eisdem speciebus; quod aliqui explicant per ipsam præsentiam corporis Christi ad istas species, quæ est modus superadditus corpori Christi: alii per unionem de novo productam in corpore Christi cum speciebus, quatenus subrogatur loco panis, licet non sustentet accidentia. Et prima sententia tribuitur Scoto in iv, dist. x, §. Quantum ad istud argumentum: secundam vero Suarez attribuit Capreolo, Ledesma, Palacios, et aliis, quæ tamen parum, aut nihil videtur differre a prima, quia illa præsentia corporis Christi, quam ponit Scotus, non est præsentia localis, sed modus indivisibilis, quo corpus Christi fit præsens speciebus (scilicet in toto, et totum in qualibet parte.) Non requiritur autem alia unio cum speciebus, quam illa, qua Christus fit contentus sub speciebus; fit autem contentus in quantum præsens, quia præsentia illa, et continentia passiva in loco, idem omnino est. Non negat autem Scotus actionem conversivam, sed distinguit, licet subobscurè, duplicem actionem; aliam conversivam terminatam ad substantiam corporis Christi; aliam adductivam, terminatam ad præsentiam, qua redditur contentum sub speciebus, licet non explicet, an sit duplex actio modo de facto concurrrens ad consecrationem; an vero solum sint duæ actiones possibiles in conversione; altera quæ terminetur ad substantiam ipsam (et est actio substantialis) altera quæ terminetur ad præsentiam substan-

tiæ alibi existentis, illamque præsentem reddit.

IX. Quidquid vero de hoc sit, communiter Scotus intelligitur constituere actionem adductivam rationem qua Christus redditur hic præsens, non qua substantialiter attingatur. Sufficit autem ad conversionem et transsubstantionem ista actio, quia ex vi talis actionis datur successio substantiarum sub eisdem speciebus; et habet illa actio vim expellendi substantiam panis, ut reddat totum contentum et præsens sub speciebus ipsum corpus Christi. Neque enim Concilium definiens dari hic conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi affirmat, aut affirmare cogit hanc conversionem esse substantialem, neque ad substantiam formaliter terminari. Sufficit esse conversionem substantiarum, id est, successionem unius substantiæ post aliam, licet id fiat actione adductivam illam substantiam corporis Christi cum expulsionem substantiæ panis, et positionem præsentiam corporis Christi. Unde etiam S. Thomas infra quæst. lxxviii, art. v, dicit per istam actionem non fieri ut corpus Christi sit corpus Christi, quia ante jam hoc erat; sed fit ut contentum sub his speciebus sit corpus Christi; contentum autem sub speciebus est idem quod præsens: ergo præsentiam facit.

X. Et omnes istæ sententiæ principaliter adducuntur ad ita sentiendum, ut effugiant concedere duplicem actionem totalem circa idem corpus Christi. Si enim actio ista conversiva immediate terminaretur ad substantiam corporis Christi, idem numero effectus dependeret a duplici causa totali et adæquata, scilicet, corpus Christi a generatione, quæ productum est, et ab ista conversione quæ tangit ipsum corpus Christi, et a se dependere facit;

et de facto produceret, si non inveniret jam productum. Et quælibet istarum actionum sufficit adæquate et totaliter producere corpus Christi. Quia ergo sententiæ istæ refugiunt concedere quod eadem entitas possit a duplici causa totaliter dependere, ideo non assignant pro termino formali substantiam corporis Christi, neque illam actionem volunt esse substantialem, neque illud corpus ex sua natura reddi impossibile cum substantia panis, sed ex aliquo supervenienti; Scotus quidem ex præsentia, qua illa substantia succedit sub speciebus panis; Vazquez autem non ex præsentia solum, quia hæc etiam est compossibilis cum pane, sed ex verificatione verborum quibus fit consecratio.

XI. Denique tertia classis opinantium existimat simpliciter terminum hujus conversionis esse ipsam substantiam corporis Christi, istamque conversionem in omni rigore intelligendam esse; ita quod non solum sit successio substantiarum, sed substantialis actio reddens impossibilem panem cum ipsa substantia corporis Christi, quia vere et physice transit panis in corpus Christi: atque existimant transsubstantiationem non solum esse conversionem sacramentalem ratione verborum formæ, sed etiam physicam, quia sine aliqua enuntiatione verborum posset Deus sola sua virtute convertere panem in corpus Christi, indeque colligunt, quod respectu virtutis divinæ quælibet res potest converti in aliam, quia non est major ratio, quod panis possit converti in corpus Christi, quam lapis in lignum, vel aqua in ignem, aut quidquid Deus voluerit in aliud. Hæc sententia valde communis est inter Thomistas et theologos, sed ad explicandum modum, quo illa substantia corporis Christi, quæ supponitur præexistens, possit de

novo esse terminus hujus conversionis et actionis, cum in sua entitate nihil de novo accipiat, non eodem modo omnes explicant, sed etiam divisi sunt; nam quidam affirmant corpus Christi esse novum terminum ad quem, per habitudinem et respectum ad terminum a quo (qui est panis) ita quod terminus formalis hujus conversionis est Christus, non absolute in se, sed prout ex pane; atque ita est terminus, non ratione novæ entitatis, quæ Christo superaddatur, sed ratione novi respectus, prout scilicet ex tali termino a quo, qui est panis, fit corpus Christi: sicut idem locus indivisibilis in eadem distantia potest esse terminus formalis ascensus et descensus; non absolute, sed sub respectu ad diversum terminum a quo, quia prout ex loco superiori est descensus, et prout ex inferiori est ascensus, cum sit idem locus entitative. Et hunc modum dicendi sequitur Cajetanus hic art. iv, qui ob hoc dicit pertinere aliquo modo, seu refundi terminum a quo in terminum ad quem; ita quod terminus conversionis sit Christus ut ex pane; non quia aliquid panis remaneat in corpore Christi facta conversione, sed quia corpus Christi non induit formalitatem termini hujus conversionis, nisi prout ex pane, et sub respectu ad panem; et ille respectus corporis Christi ad panem pertinet ad terminum ad quem; panis autem solum in obliquo, et non in recto pertinet ad formalitatem termini ad quem. Et ita idem corpus Christi, ut ex sanguinibus beatæ Virginis, est terminus formalis generationis; ut autem ex pane, est terminus formalis hujus conversionis.

XII. Quod autem aliqui addunt ad explicationem hujus sententiæ, quod terminus hujus actionis est corpus Christi, prout in illud est conversus panis, seu in illud desinit panis, et